



3 2044 103 203 113

www.libtool.com.cn

ROSSHIRT

DE STUDIIS JURIS CIVILIS ET CANONICI

1861

GER
907
ROS

HARVARD
LAW
LIBRARY

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn



81

Book

www.libtool.com.cn

GERMANY

81

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

Rosshirt, Konrad Eugen Franz

78



www.libtool.com.cn

NATALITIA
PRINCIPIS BEATISSIMAE MEMORIAE
CAROLI FRIDERICI

BADARUM NUPER MAGNI DUCIS
HEIDELBERGENSIS LITERARUM UNIVERSITATIS

RESTITUTORIS

DIE XXII NOVEMBRIS MDCCCLXI.

PIE CELEBRAT

ACADEMIA RUPERTO-CAROLA

SIMULQUE JUDICIA

DE COMMISSIONIBUS EXHIBITIS FACTA

NOVASQUE QUAESTIONES PROPOSITAS

RENUNTIAT

CONR. EUG. FRANC. ROSSHIRT

J. U. DOCTOR MAGNO DUCI BADARUM A CONSILIIS AULAE INTIM. PROF. PUBL. ORD.
COMMENDATOR ORD. LEON. ZARING. ET GREGORII MAGNI

ACADEMIAE H. T. PRORECTOR.

DISSERITUR

DE STUDIIS JURIS CIVILIS ET CANONICI IN GERMANIAE UNIVERSITATIBUS
MEDII AEVI.

HEIDELBERGAE.

TYPIS GEORGII MOHR.

MDCCCLXI.

GER.
907
RGS.

www.libtool.com.cn

~~MAY 12 1921~~

*Praefecti urbis nostrae clarissimi,
Collegae conjunctissimi,
Viri summe venerabiles, juris consultissimi,
experientissimi, clarissimi,
Auditores omnium ordinum, quotquot
adestis, honoratissimi.*

Divi Caroli Friderici natalitia ubi celebramus, hujus diei solemnitas honorificum mihi imponit officium, ut in memoriam Divi Principis, quem Academiae Nostrae a Ruperto olim conditae restauratorem pie colimus, verba facturus nonnulla proferam, quae quum ad historiam Universitatum Germaniae ac praecipue ad juris civilis et canonici studia pertineant, vestris studiis haud ingrata et accommodata esse videantur.

Inprimis vero, auditores spectatissimi, in memoriam vestram revocare cogor, hunc annum Academiae nostrae gratissimum celebrandum esse. Etenim omnes fere literarum Universitates decem lustra absoluta si habent, invitare quum soleant reliquas Universitates, tanquam sorores, ut animo votisque adsint ad haec ipsa decem lustra feliciter peracta concelebranda, nostra vero Universitas haud scio an omnium antiquissima jam decem et quinque lustris saeculi hujus peractis gaudeat, equidem, qui vestris suffragiis in hunc locum evehctus sum, nunc ipse una vobiscum Academiae gratulabundus in medium procedo.

Eam vero rem, de qua dicturus sum, nemo nescit, a doctissimo et illustrissimo Savignio nunc pie defuncto in opere celeberrimo historiae juris Romani medii aevi

felici successu tractatam esse, quod attinet ad Italiae et Galliae et Hispaniarum Universitates, atque doctissimum quoque Thomassinum quaedam ex jure canonico de Polonia exposuisse:*) sed celeberrimi hi juris Romani et Canonici praeceptores nostrarum Germaniae Universitatum studia minus respexerunt. Itaque haud scio an ipse operae pretium facturum sim, si de his studiis nonnulla in medium proferam, quae e libris MS. potissimum ducta necdum cognita ad accuratiorem Universitatum et studiorum in his tractatorum cognitionem nonnihil facere posse videantur.

Studia generalia, quae tunc temporis dicuntur, institui non poterant, nisi re ad Pontificem maximum delata et cum hoc tractata: ab hujus enim approbatione pendebant tam artes liberales quam ipsius theologiae studia, cujus doctores tamquam magistri artium agebant. Idem fere obtinuit in jurisprudentia, cum doctores decretorum haberentur pro theologiae externae magistris; unde factum est, ut Clemens VI. in bulla sexti Januarii anni millesimi trecentesimi quadragesimi septimi hoc institutum non tantum utile esse declararet, sed etiam gradus ab Universitate Pragensi impetratos per omnem Christianum terrarum orbem valere juberet: quod quantum ad scientiae studia in universum promovenda valuerit, nemo non intelligit.**)

Ac si ad Universitatem Pragensem respicias tanquam parentem universitatum Germaniae, quae ex auctoritate Pontificis Summi instituta est, simul recurrendum est ad ejus statum politicum et oeconomicum, quo modo regeretur et conservaretur.

*) Clemens pontifex V. de studiis generalibus in urbe Romae, Bonnoniae, Salamantica, Oxoniensi tractat Clem. 1. V. 1.

**) De Universitate Pragensi exstant varia sed non satis accurate perscripta opera: Stabel, Geschichte der juristischen Facultät 3 Bände. Prag 1827. Vogt, Versuch einer Geschichte der Universität Prag. Prag, 1776. Liber Decanorum facult. philosophicae Universitatis Pragensis. Pragae 1880. Statuta Universitatis Pragensis — conjuncta opera D. Antonii Dittrich et D. Antonii Spirk (Monumenta historica t. III). Tomek, Geschichte der Prager Universität. Prag 1849.

Quod ad sumtus necessarios attinet, debuit jam illo tempore Carolus IV. subsidia impetrare a Bohemiae statibus, qui dicuntur, a quibus cum sumtus necessarij concessi essent, id publice professus est in aurea bulla septimi Aprilis A. millesimi trecentesimi quadragessim octavi, qua res universitati necessarias in ipsam se collaturum esse declaravit.

Tum etiam ea imitatus est, quae de studiosis Bononiensibus Fridericus primus instituerat, ut studiosi cum omni securitate proficisci possent. His peractis Universitatem Pragensem bulla decimi quarti Januarii anni millesimi trecentesimi quadragessim noni Caesar Germaniae confirmavit.

Denique ad hanc Universitatem idcirco nobis iterum recurrendum est, quoniam hic instituta medio aevo usitata in docendi et regendi et vivendi modo apud doctores et scholares inter nationes divisos maxime obtinebant.

In methodo docendi fuit studium in artibus quod in Gallia inde a Caroli Magni temporibus admodum colebatur: ubi trivium et quadrivium erat conjunctum, studium generale dicebatur: doctores decretorum et theologiae fiebant magistri artium ac medicina quoque hoc studio continebatur, et quod ad rem physicam et chirurgicam attinet, uti tum res medicinalis appellabatur, multum jam ea in Universitate Parisiensi tractabatur, ut Bulaeus et Pasquier, celeberrimi hujus Universitatis scriptores, testantur. Medicos ad artistas pertinuisse, etiam Sarti de Bononia eloquitur, serius demum doctoris honores illos accepisse concedens.*) De legistis neque in Universitate Pragensi neque in Parisiensi illo tempore verba facta sunt.

In jure regendi Pragensis Universitas eadem instituta accipiebat, quae Parisiis, ubi Carolus IV. ipse studiis operam dederat,**) obtinuerunt: itaque magistri et scholares in unam Universitatem atque jurisdictionis potestate in unam rem publicam omnium civium civitatisque annexorum conjuncti erant.***) Rector ut in Parisiensi

*) De claris Archigymn. Bonon. professoribus I. pag. 484.

**) Vitam Caroli IV. et quidem literariam descripsit Joannes II. Archiepiscopus-Pragensis in orat. funeb. post mortem Caroli IV. apud Freher. pag. 110. (Orig. palat.)

***) Ex methodo docendi fuit vocabulum „studium generale conservatum et in nostro saeculo in univ. Heidelbergensi sed“ — ex jure regendi“ universitas.

e magistris sumebatur. Universitatis res externas politicas et oeconomicas curabat, ordinique licentiatas impetrando praeerat Cancellarius, plerumque Archiepiscopus Pragensis inde a Clementis VI. temporibus.

Quod ad modum vivendi attinet, magistri et scholares praecipue in rebus familiaribus per nationes divisi erant, quatuor in Pragensi et Viennensi; in Heidelbergensi, quas institui voluerat Rupertus, eae nunquam lucem viderunt.

Vix ulla per Germaniam reperitur schola, in qua quas vices, quae fata passa sint doctrinae studia, melius cognoscere possimus, quam in Universitate Heidelbergensi, nec mirum inde neque fortunae casui tribuendum, quod omnibus temporibus Academiae Heidelbergensis tanta fuit vis atque auctoritas: optime id cognosci poterit ex documentorum copia adhuc superstite omnemque Academiae historiam eximie illustrante.

Cujus historiam si spectamus, tres periodi distingui poterunt:

1) prima inde ab anno millesimo trecentesimo octogesimo sexto usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum octavum—quo anno Otto Henricus Universitatem, quae usque ad hoc tempus medii aevi instituta pure sequebatur, reformavit.

2) Altera periodus usque ad annum millesimum septingentesimum quintam: his temporibus omnes fere disciplinae secundum reformatorum doctrinam reformatae sunt. In jurisprudentia, quae antea duos habuerat facultates et quidem rectissime, quia plane alia est ratio juris ecclesiae, quam rerum publicarum et saecularium constitutio, ab Ottone Henrico institutum est, ut una tantum remaneret legistarum facultas, addito uno doctore decretalium quasi professore artis judicariae idque idem invenitur in statutis Joannis Casimiri atque Caroli Ludovici. Nec ullum quidem hoc tempore vestigium reperitur juris ecclesiastici Protestantium: adeo interierat omnis vigor juris canonici.*)

*) Häusser in opere historiae Palatinae vol. II. p. 208. de hac re haec eloquitur: „für die Jurisprudenz war eben so reichlich gesorgt, wenn man das an protestantischen Universitäten damals etwas vernachlässigte Kirchenrecht der Katholiken ausnimmt.“

3) Tertia periodus usque ad nostram aetatem. Juris canonici studia revocata quidem sunt, sed non rehabilitata. Ac tota horum studiorum ratio commutata est inde ab anno millesimo octingentesimo tertio, quo Carolus Fridericus ipse Universitatem restituit, vel nova ipsius statuta edidit.

Prima periodus

in qua antiqua studiorum forma conservata fuit.

Haec potissimum nobis sunt respicienda:

- a) doctores vel magistri et ratio studiorum,
- b) scholares et promotiones,
- c) regimen Universitatis,

d) libri, quibus tum ad studia colenda utebantur, de qua re multa eaque egregia inveniuntur tradita in C^o MS. Universitatis nostrae tom. I. Annalium.

Quae tractantes, nos continebimus in iis, quae ad jurisprudentiam pertinent

Fuerunt tantum doctores decretorum, jusque canonicum quasi unicum et quidem commune habebatur per Galliam aequae atque per Germaniam. Bene enim intellexerunt, in Decreto Gratiani non solum juris naturalis fundamentum ex jure divino quasi traditum vel sumtum et derivatum, sed notiones quoque regulasque juris Romani reperiri. Id vero nostro tempore non solum in Codice Gallico reperitur sed per totum orbem cognoscitur. De hac re i. e. de vi, ambitu et auctoritate tam juris canonici quam juris Romani testatur Cardinalis Wiseman vir doctissimus in dissertatione nunc edita de ecclesia et scientia.*) Aliae res juris relinquebantur consuetudinibus moribusque singularum gentium et civitatum.

*) Haec oratio habita est vigesimo nono die Junii hujus anni Londini, cum docti quidam conjungerentur in societatem, quae appellatur academia religionis catholicae. Multa hic proferuntur de ratione, quae obtinet inter ecclesiam et scientiam, philosophiamque rerum naturalium.

In Universitate Pragensi jus Romanum solummodo ex jure Canonico cognosci poterat, uti docet Tomek: in Parisiensi obtinuit Honorii constitutio „super specula“ — in Heidelbergensi rarius tantum juris civilis professorem institutum invenimus. Studiorum et literarum rationem, qualis in Heidelbergensi Universitate floruit, optime cognoscimus e Codice Heidelbergensi tom I.; inde intelligimus, quo modo et qua ratione praelectiones de Decreto et de Decretalibus habitae sint, quo modo promotiones factae sint, atque ubi de doctoratu juris agitur, additum invenimus „sciendum, quod facultas juris desinit in legistis“ — sequitur index promotionum usque ad saeculum decimum quintum continuatus, in quo si quando legista commemoratur, is de codice praelectiones habet: pandectae istis temporibus vix cognitae fuisse videntur: in jure canonico collectiones antiquae quoque ignorabantur, ut ex indice librorum, quem idem codex profert, satis apparet. Primus legista erat Dominus Matthaeus protonotarius Arragonensis.

Doctrinae opera, quibus illius temporis Jureconsulti utebantur, in eodem codice, qui horum operum accuratum continet indicem, exhibentur vel scripta de decreto et decretalibus, scripta Innocentii, Hostiensis, Andreae, Mandagoti, Archidiaconi, et ipsa fontium opera vel opera ad usum practicum pertinentia, ut opus Durandi, Rolandini, ex quibus omnibus cognosci potest, jus canonicum sua eaque propria habuisse verba et vocabula: denique institutiones juris Romani, Codex Justinianus, sed Pandectarum solummodo partes, denique vocabularia juris. Reperiuntur quoque in his alius argumenti libri, ut Boethii consolatio, Senecae ludus de morte Claudii, plura ad theologiam spectantia volumina.*)

Ita omnes libri, quos Universitatis bibliotheca acquisivit, in hunc quoque indicem relati sunt, qui praebet bibliothecarum tunc temporis constitutarum speciem.

Praefuit Universitati Vicecancellarius: Rector ex artistis eligebatur et vocabatur Rector universitatis studii Heidelbergensis; saepius appellantur „Rector, doctores et magistri Universitatis Heidelbergensis. Primus professor juris Canonici Joannes Voet fuit, artium quoque magister et Rector. Praga hic venerat. Legistarum nulla

*) Librorum hic asservatorum index huic dissertationi appendicis loco additur.

ratio Heidelbergae habita est, in statutis autem cautum erat, ut, cum legista in facultate deesset, in examinibus et promotionibus doctor vel licentiatius juris civilis arcesseretur, donec facultas vel hac ratione plena esset facta.

Scholares in bursis habitabant, de quarum visitatione praesertim per horas nocturnas plura in Codice inveniuntur statuta, quia bursarum praepositi multa celare solebant.

Per totum fere medium aevum more antiquo literae tractabantur. Jus Canonicum colebatur tanquam antiquum aequae atque novum: mox vero decretum cum paulatim in desuetudinem abiisset, jus decretalium primum obtinuit locum, conjungique cum eo coepta est historia ecclesiastica simulque etiam jus Canonicum in dies majorem vim accepit in processu, accedentibus practicum sententiis inde a Durandi aetate. Paulatim legistae sed rarius in Germania, quam in Italia et Gallia exoriuntur, praesertim in Palatinatu, cum principes Palatini crebrius constituerent, ut a jure particulari eoque solito standum esset, ita ut omnes fontes juris illius temporis vel in jure Canonico vel particulari Germanico reperiantur.*) Quoniam vero progrediente juris scientia secundum Bartoli rationem et senioris aevi medii rationem jus quodammodo commune quasi mixtum ex jure Romano et Canonico colebatur, tres in Universitate professores creati sunt, Codicis, Institutionum et Pandectarum.

Quibus de rebus, quum abunde expositum sit a celeberr. Wundtio,**) hoc loco pluribus agere haud necessarium esse videtur.

Neque alio modo artes ad rationem antiquam et solitam tractabantur, ipsique Jurisconsulti magistri artium quoque esse maluerunt, non solum honoris et recto-

*) Höfler in libro „Rupertus Palatinus. Friburgi, 1861. pag. 129. not 3. profert: haec „Da Land und Leuten von dem Kaiserrecht grosser Schaden begegnet wäre und noch bevorstehe, so wolle er (Rupert) dass beschriebene Rechte unsern Ländern am Rhein wieder sollen beschrieben geben werden in Büchern, dass sich unser Städte und Dörfer darnach richten mögen. „Tolner hist. palat., qua vero docetur, talem librum nullo modo esse perfectum. (Male ibi citatur doc. LXXXV. pro LXXXVIII.)

**) Programm. de origine et progressu facultatis juridicae in Acad. Heidelb. pag. V.

ratus causa, sed etiam, quod saecularis scientiae ratio et dignitas id quodammodo postulare videbatur.

Theologorum scientia scholasticam sequebatur.

Periodus altera

quae non solum scientiam sed etiam statum politicum reformare studuit.

Jam quae mutatio sub Ottone Henrico anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo facta est, cui nonnulla postea anno m. q. septuagesimo quinto accesserunt, ea accuratius nobis inspicienda erit. Ac satis inter omnes constat, typographica arte inventa magnam omnium rerum indeque etiam literarum et studiorum mutationem esse allatam, adeo ut libri typis expressi mox in locum librorum manuseriptorum cederent, qui ipsi paulatim interierunt, cum non amplius describerentur; nec mirum, magnam quoque id vim exercuisse in Universitates omnemque studiorum rationem, quae hoc loco uberius persequi non vacat: id unum nobis monendum est, jus Canonicum fere neglectum esse. Otto Henricus in reformatione anni m. q. quinquagesimi octavi duplicem Jurisconsultorum facultatem, canonicam et legisticam sustulit, eoque studium juris Canonici plane suppressit: his verbis

wiewol unsre vorfahren diese der juristenfakultät in zwey Theil nämlich das canonicum oder geistlich Recht und das weltlich civile genannt unterscheiden und getheilt — so haben wir doch angesehen gegenwärtiger Zeitlaufe, obgenannte beide Stück zusammengezogen.

Addit idem

wer (professor) ein anderes lesen wollte, als secundum decretalium — dass er solches zuvor Decano et facultati juridicae die solchen zu erwägen und zu bedenken, ob es nützlich und ohne Verletzung unserer christlichen Religion bestehen möge.

Quo modo fieri potuit, ut seriori tempore a facultate ipsa ad electorem rescriberetur*)

dass die auditores zum Theil in dem irrigen Wahn waren, dass in explicandis decretalibus nichts sonderlichs fruchtliches docirt werde.

Quod Heidelbergae factum est, idem in ceteris Protestantium Universitatibus invenitur: neque casu effectum esse videtur, ut in Catholicorum Universitatibus juris Canonici vis et dignitas imminueretur, et ambitus totaque studiorum ratio una cum systemate juris per christianum orbem propagato laederetur atque inde delaberetur. In quem finem adeo respicere licet ad Universitatem Ingolstadtensem.***) Atque ex hac Ottonis Henrici reformatione nullus Rector ex lectoribus juris Canonici electus est usque ad annum m. septingentesimum octavum.***)

Erat solummodo Decretalium professor, qui Decretalium librum secundum explicabat, et ex quo simul judiciorum doctrinam tradebat: tres nunc nominati erant juris civilis professores — professor Codicis, qui postea etiam jus publicum assumebat, deinde Institutionum et Pandectarum professores, quorum prior jus naturae et criminale, alter jus feudale docebat.****)

In tribus statutis (1558, 1588, 1672) salaria horum quatuor professorum constituta et aucta indicantur. Quae statuta ut maximi sunt momenti et transierunt in statuta aliarum civitatum Protestantium, ita satis ostendunt juris Canonici parvam per illa tempora fuisse vim et auctoritatem. Neque vero aliter aliis in Protestantium Universitatibus res se habuit: tantum senioribus ex temporibus opus eximium laudari potest J. H. Böhmeri, qui accuratissime fontes juris Canonici examinavit ipsumque argumentum subtiliter disquisivit, operamque omnem dedit, ne jus Canonicum, quod ad Protestantium civitates attinet, prorsus interiret.

*) Annales t. XL fol. 277—280.

**) Annales Ingolstadtensis Academiae inchoarunt Valentinus Rotmarus et Joannes Engerdus, emend. auxit continu. Joann-Nepomuc. Mederer. Ingolstadt, 1782.

***) Schwab syllab. rectorum t. II. p. 127—sqq.

****) Quo modo per Italiam speciales doctrinae processus, juris feudalis et criminalis excolerentur, jam ab aliis explicatum est. cf. Rosshirt hist. et syst. jur. crim. part I.

Sed tunc haec disciplina alteri forsan discrimini subjecta est, quod jus ecclesiasticum nova ratione tractari coepit a scriptoribus Protestantium quam Catholicorum. Böhmeri et patris et filii vestigia legentium.

Hoc vero modo jus Canonicum tanquam proprium juris christiani systema resurgit et ex sepulcro quasi revocari non poterat. Hierarchia ecclesiae Catholicae tunc temporis minus cognoscebatur et dijudicabatur, ipse enim Böhmerus omnem contulit operam in eam hujus disciplinae partem, quam nominavit jus parochiale Protestantium.

Etenim jus ecclesiasticum quasi interna pars juris publici subjectum fuit, quod vero nullo modo pendet ex legibus saecularibus, sed potius tanquam theologia externa et jus Christianitatis per totum orbem diffusum conservandum est, de quo suo tempore a nobis plura dicenda et explicanda erunt. Haec plane ad tertiam periodum spectare videntur, in qua consistere placet.

His denique adjiciamus quaedam singularia de scholaribus et dignitatibus medii aevi.

Literarum studia, medio aevo exeunte, denuo in Italia efflorescentia, id efflicere debebant, ut homines ad veros humanitatis fontes revocarent, eorumque animos cujusque boni et veri sensu imbuerent; itaque Bononiam confluxere omnes omnium gentium literarum studiosi, qui secundum nationes divisi et hoc gentilitatis vinculo conjuncti ipsi ordinem omnibus constitutum sequebantur sub tutela Papae et singularum urbium: Illi se ipsos regebant adeo, ut non solum auditores sed etiam docentes scholaribus adnumerarentur.

Idem Parisiis factum esse videmus, sed ibi regimen penes Magistros fuit: scholares, qui in bursis conjungebantur, regimini a se in rebus familiaribus constituto subjecti fuerunt. Haec bursarum ratio in Germaniam deinde quoque propagata transiit, namque conveniebat corporationum naturae per medium aevum Conditae sunt hae bursae a singulis benefactoribus certum in finem, idque in Universitate Heidelbergensi, in qua postremo omnes bursae in unam conjunctae inveniuntur, optime intelligi potest: et quamquam bursae isque familiarum ordo atque

alia, quae ad medii aevi rationes accedebant, aut inde deducta erant, tollebantur, tamen mox intellectum est, necessarium esse adolescentes certo regimini atque imperio subicere, quod ex ipsis sodalibus sumtum, praecipue secundum singularum terrarum et gentium consuetudines constituebatur.

Unde gliscente abusu extitit pennalismus, qui apud nostrates dicitur, more Gallico, quo vocabulum occurrit *bejaune*: beanus. Is est novellus studiosus, qui ad Academiam nuper accessit: beanus est avicula nesciens vitam studiosorum, quae nondum e nido evolavit. Beanus deponere debuit vitam consuetam, uti placuit dicere, cornua: ideo ritus et modus depositionis beanorum (*Gelbschnabel*). Is quidem recipiebatur inter bacchantes, cujus capellos depositos circumcidebat, certos quosdam ritus observans, unde Schoristae nomen accipiebat, ipseque vero familiaris magister quasi erat, eique subditus pennalista vocabatur.

Hicce pennalismus cum multa afferret mala et detrimenta,*) a principibus nonnullis aequae atque a conventu principum Protestantium Germanico Ratisponae convocatorum imprimis Palatinorum severissime interdicebatur.***) In Catholicorum Universitatibus minus propagatus ille fuisse indeque etiam minorem vim habuisse videtur.

Quamquam vel posteris temporibus mansit nomen: novellus studiosus; olim vocabatur Justinianista, serius voce germanica *Fuchs*:***) interiit tamen et nationalismus et pennalismus: sed nunc exorti sunt ordines, qui dicuntur — similes societati latomorum aliisque huiusmodi institutis, mox vero et ipsi sublati sunt et interdicti. Praeterea inveniuntur sodalitates et corpora, quae suis statutis regerantur praesertim in iis, quae ad duellum pertinent receptum more germanico ex statu nobilium. Ac sane vel abusum utique facile irrepentem si concesseris, tamen negari nequit, studiosorum juvenum vitam, quae societatibus careat, cogitari vix posse: quamquam ad animi recreationem vitaeque jucunditatem in talibus nunc magis

*) Schwab syllab. rector. t. II. pag. 15.

**) Annal. Heidelberg. anni 1654. p. 377, 379.

*) Schulfuchs.

spectari, quam ad literarum studia, nemo est, qui negare possit. Itaque ex studiosorum sodalitiis, qualia nunc reperiuntur, nihil quod ad literarum studia imprimis ad jus Canonicum pertinet, colligi posse, sed id potius quaeri, ut nobilium status et honestas vitae inter studiosos quodammodo conservetur, neminem fugit.

Jam de dignitatibus et honoribus academicis iisque conferendis nonnulla afferamus.

Theologi ab initio fuerunt magistri in artibus, postea receperunt titulum doctoris decretorum; majoris vero momenti id est, quod Rector Universitatis e Magistris eligebatur: ideoque doctor decretorum nullo modo ex hac dignitate, sed tantum si magister in artibus simul extitit, admittebatur. Nec minus medicus erat magister in artibus, variasque vices et fata non tam e libro Ackermanni valde celebrato de schola Salernitana, quam ex egregio opere Bulaei de Universitate Parisiensi cognoscere licet. Legista non raro dignitatem suam referebat ad Bononiensem et Aurelianensem Universitatem. Apud Ultramontanos et Citramontanos utriusque juris doctores si erant laici, distinguebantur a magistris, ad quos clerici tanquam doctores decretorum saepissime pertinebant.

Quod vero Sarti praeter septem artes philosophiam quoque recenset prioribus saeculis tanquam proprium doctrinae genus, falsum videtur, cum philosophia ad artes pertineret: id expresse indicat Bulaeus exponens, lectiones literaturae Graecae ad grammaticam spectare, neque de metaphysica et philosophia naturali tractare.

Philosophia ipsa erat pars dialectica. Bulaeus lib. III. 82 profert: „legant libros Aristotelis de dialectica, duos Priscianos, legant philosophos et Rhetorica, quadrivilia, barbarismum et ethicam, quartum topicorum: non legantur libri Aristotelis de metaphysica et naturali philosophia, nec summa de eisdem M. David de dinant aut Almerici haeretici aut Mauriti Hispanici“.*)

In Universitatibus ultramontanis initio legistae doctores laici ad Universitatem

*) Bulaeus III. 82. Tu vid. Catalogum librorum in Univ. Pragensi apud. Voigt pag. 98.

haud accensebantur.*) Doctores quoque decretorum itemque doctores medicinae omnino ab artistis distinguebantur et proprios ordines constituebant, inde enim ortae sunt quatuor facultates. Hoc modo adeo factum est, ut doctores decretorum et legum crebro in duas facultates conjuncti reperiantur.

Fuerunt autem illis temporibus tres honorum gradus: baccalaureatus,**) licentiatius, doctoratus. Medicinae doctores in Parisiensi Universitate adeo coelibes esse debebant, postea tamen hoc abrogatum est: idemque etiam canonistis laicis concessum est. In Heidelbergensi Universitate jam mature baccalaureatus sublatus est, ut ex Annalibus intelligimus, quibus continentur indices Licentiatorum et Doctorum.

Magistri et Doctores, qui lectiones habebant, dicebantur regentes vel actu regentes, ceteri non regentes: inde in majoribus Universitatibus, ut in Pragensi et Viennensi, duo collegia instituebantur — professorum et doctorum, quemadmodum id adhuc in Viennensi obtinet. Licentiatorum rationes haud recte exposuit J. H. Böhmer,***) ideoque merito vituperatus a Sarti, qui vitam celeberrimi Gratiani exponit.

Quod ad salaria attinet, theologi tanquam magistri in artibus beneficia non habebant, quia erant alio modo prae bendati: reliqui professores accipiebant salaria a regibus et principibus, idque non in Gallia et Anglia tantum factum est, verum etiam in Germania atque in hac ipsa Universitate Heidelbergensi, ut ex Annalibus nostrae Universitatis satis superque constat: unde respublica Universitatum quodammodo libera, quia dotatio ex aerario facta est, valde mutata est, adeo ut nostris temporibus Universitates Germaniae assumerint formam institutorum publicorum.

Quod vero in tanta omnium rerum commutatione academici gradus adhuc servati sunt, id quidem et ipsum dignitatem Universitatis retentam declarat, simulque eam animorum libertatem, ad quam etiam nunc studia nostra sunt dirigenda.

*) Glossa ad Clem. 2 lib §. 1. s. v. doctoratus Ultramontani et Citramontani in omnibus rebus diversi.

**) bachelier a bataille — derivatur.

***) praef. ad Decretum.

Jam accedam ad ea, quae mihi hanc dicendi occasionem omnino prae-buerunt: etenim more consueto indicanda sunt, quae anno praeterito Academiae nostrae acciderint, simulque judicia Ordinum renuntianda de iis, qui quaestiones anno praeterlapso propositas solvere conati sunt, ac denique novae quaestiones proponendae.

Ut a rebus nostris initium faciam, morte nobis duos collegas ereptos esse dolemus, alterum senem Fridericum Christophorum Schlosserum, qui inde ab anno hujus saeculi decimo septimo, quo ad hanc literarum sedem historiae professor vocatus est, Academiam nostram et docendo et scribendo illustravit usque ad extremum fere vitae terminum quem attigit nominisque sui famam per omnes Germaniae partes exterasque quoque terras propagavit ordinis philosophorum senior: alterum morte ereptum lugemus Brackenhoeft, juris professorem extraordinarium in docendo et scribendo accuratissimum.

Ex eodem ordine jurisconsultorum discessit Robertus de Mohl, a nostro Principe Orator missus ad concilium legatorum confoederationis Germanicae et dignitate consiliarii intimi secundae classis ornatus: discessit quoque Julius Jolly professor extraordinarius — a consiliis rerum publicarum administrandarum vocatus Caroliruham; ad Erlangensem Universitatem vocatus abiit Marquardsen, professor extraordinarius.

In ordinem theologorum adscitus est Hitzig, qui e Turicensi Universitate ad nostram Academiam, in quo olim jam docuerat, rediit: in ordinem jurisconsultorum vocatus est Joannes Casparus Bluntschli, dignitate consiliarii aulici ornatus: medicorum ordini additus est Fuchs professor extraordinarius, qui medicinam veterinariam Caroliruhae docuerat. In philosophorum ordine Gustavus Weil professor extraordinarius et bibliothecarius nominatus est professor ordinarius linguarum orientalium et Guilielmus Wattenbach Wratislaviensis nuperrime vocatus ad nostram Academiam professor ordinarius historiae.

In dignitatem professorum extraordinariorum ascenderunt, qui antea privatim docuerant, Henricus Holtzmann et Eduardus Riehm in ordine theologorum, Carius in ordine philosophorum.

Privatim docentibus accessere Licentiatus Adolphus Hausrath in ordine theologorum, Dr. Paulus Labaud et Dr. F. W. Schaaff Heidelbergensis in ordine Jureconsultorum, Dr. Franciscus Knauff in ordine medicorum, Dr. Leonardus Rabus in ordine philosophorum: e privatim docentium numero sponte discesserunt Wippermann, Pikford et Holle.

In seminario theologico secundum concionatoris et magistri locum accepit Oscar Schellenberg, verbi divini minister.

Quod ad Universitatis bibliothecam attinet, in Weilli locum successit alter bibliothecarius Dr. Thibaut, cujus negotia curanda tradita sunt Bendero.

Praeterea plures collegas dignitatibus et honoribus auctos esse laetamur: a consiliis aulae professor nominatus est Ludovicus Haessler, concilio supremo rerum Evangelicarum administrandarum additus est Richard Rothe, ornatus quoque insignibus ordinis Leonis Zaringiae secundae classis, ejusdem ordinis tertiae classis insignibus condecoratus est Helmholtz: stella secundae classis insignibus addita Vangerowio tradita est; insignia ordinis domestici Saxonici Ernestini accepit Zöpfl, ordinis sancti Stanislai Russici secundae classis insignia Bunsen, qui ejusdem classis insignibus ordinis Franco Gallici condecoratus est, cujus insignia equestria obtinuit Kirchhoff.

Instituta Academica, quae dicuntur, multis cujusque generis incrementis aucta sunt. Haud paucas accessiones bibliothecae copiae acceperunt ex annuis comparatae redditibus, quos hoc anno duobus millibus florenorum auctos esse laetamur: multos quoque libros dono illatos esse grato profitemur animo: factum id est liberalitate insigni collegarum nostrorum multorumque aliorum virorum doctorum itemque societatum eruditarum atque Academiarum Bruxellensis, Monacensis, Viennensis, Petropolitanae, imprimis Instituti Smithsoniani in America septentrionali et Universitatis Chiliensis in America meridionali: quibus omnibus, ut par est, maximas hoc loco solemni gratias peragimus.

Copiis archaeologicis praeter alia accesserunt numi Graeci e Thierschiano collectione coempti, et summa Principis nostri clementissimi liberalitate transmissi.

Thesauri mineralogici aucti sunt donis pretiosissimis et lapidum variorum et mapparum geognosticarum.

Ac denique ne locus deesset aptus recipiendis variis rerum naturalium collectionibus, Principis nostri jussu, consentientibus statibus, qui dicuntur, extrui coeptum est aedificium amplum et conspicuum, in quo reponerentur collectiones physiologicae, physicae, mineralogicae, mathematicae et medico-chemicae.

Nec denique id praetermittendum, ad Universitatem Vratislaviensem semi-saecularia agentem unum e collegis missum esse, qui ipsis festis adesset, animumque nostrum benevolum in Academiam sororem testaretur: Normannorum Universitati, quae floret Christianiae, hoc ipso saeculo conditae et decem lustra superatae eundem animum testificati sumus literis missis, cum propter itineris longitudinem legatum illic mittere haud liceret. — Numerus studiosorum e variis orbis terrarum partibus huc confluentium hoc quoque semestri crevit, qui omnes studiorum diligentia et legum observantia excelluerunt.

His expositis me convertam ad judicia renuntianda de iis, qui ad quaestiones anno praeterlapso propositas solvendas accesserunt. Quod antequam faciam, id praemittere cogor, quod ut omnino rarius accidere solet, ita in nostra Academia primum nobisque omnibus gratissimum et exoptatissimum accidit. Etenim hoc ipso die quinquaginta abhinc annis duo collegae nostri, quos adhuc inter nos versari laetamur, in hoc certamen recens a Carolo Friderico conditum descenderunt palmarumque reportarunt:

in ordine Ictorum professor Erb: in ordine Medicorum consiliarius intimus Professor Chelius.

Quibus viris semisecularia hodie celebrantibus hoc loco solemni Academiae nomine congratulamur honores hos tam matura aetate acceptos ac per omnem

vitam probatos, simulque optamus, ut in posterum quoque hunc diem nobiscum felicissime peragant saepiusque peracturi sint.

Theologorum Ordo hanc proposuerat quaestionem: Explicetur notio congregationis sanctorum, quae ecclesia christiana esse dicitur, simulque colligantur et dijudicentur sententiae virorum, qui tam vetere quam recentiori aevo de ea notione disputaverunt.

Huic quaestioni nemo respondit.

Ordo Jurisconsultorum proposuerat quaestionem:

„Explicentur differentiae criminis falsi et stellionatus.“

Oblatae sunt duae commentationes, quarum prior verbis inscripta est:

„Captare non capere licet veritatem“

altera:

„Veritati contraria est sententia declarans, mundus vult decipi, ergo decipiatur.“

Dolendum est, auctores utriusque commentationis neque historiam juris criminalis Romanorum, neque historiam rationis perspexisse, quae inter leges tempore reipublicae Romanae latas, et inter jus accusationis et modum procedendi intercedit; id quoque dolendum est, utrumque auctorem arctum nexum, qui inter jus criminale et jus civile apud Romanos obtinuit, haud satis percepisse. Omiserunt auctores utriusque commentationis inquirere in principium, quo Romani libertatem commercii et lucri faciendi studium cum contrahentium obligatione veritatem proferendi concilia-verint; deest in commentationibus exploratio sententiae Ciceronis (De officiis) et aliorum philosophorum Romanorum de finibus, intra quos fraus et calliditas in contractibus admitti possit. Notiones criminis falsi et stellionatus ab auctoribus commentationum prolatae nimis late patent. Gravissimas quaestiones in hac doctrina vel plane omiserunt vel labris tantum attigerunt. Fragmenta, quae in jure Romano ad crimen falsi et stellionatus pertinent, ab auctoribus vel prorsus neglecta vel leviter explicata sunt; neque iidem auctores perscrutati sunt sententias, quae ab

aliis scriptoribus in hac doctrina prolatae sunt. Quae cum ita sint, ordo Jurisconsultorum commentationes exhibitae proemio dignas habere non potuit. Prioris quidem commentationis auctor nonnulla specimina diligentiae et assiduitatis exhibuit; observationes ab eo prolatae non raro ingenii acumen demonstrant: quam ob rem ordo Jurisconsultorum auctorem honorifica mentione dignum iudicavit. Id vero reprehendendum est, quod auctor alterius commentationis, qui quidem differentias inter crimen falsi et stellionatus cum dexteritate quadam exposuit, neutiquam puritatem et elegantiam sermonis latini exhibuit, et in fine commentationis jocosa quadam rerum tractatione, quae a scientiae gravitate et dignitate abhorret, usus est.

Ordo Medicorum proposuit: „Experimentis eruatur, num iisdem irritamentis adhibitis fatigatio nervorum et musculorum excisorum dependeat a quantitate operis mechanici, quod musculus contractionibus perfecit.“

Auctor dissertationis, cui verba Humboldtii

„die Schwierigkeit, die Lebenserscheinungen des Organismus auf physikalische und chemische Gesetze befriedigend zurückzuführen, liegt grossentheils in der Complication der Erscheinungen, in der Vielzahl gleichzeitig wirkender Kräfte, wie der Bedingungen ihrer Thätigkeit“

praefixa sunt, summam quaestionis propositae bene illustravit. Nam magno experimentorum numero promptius, quam qui antea rem tractaverunt, aptiusque demonstravit, torporem musculi, eadem nervorum incitatione, eo citius augeri, quo magis ipse aut extendatur, aut si ab extentione discesseris, labore perficiendo relaxetur. Ratio quidem, qua auctor in argumentis disponendis usus est, minus accommodata successit, sed et brevis temporis excusationem habet, neque digna est, quae serius vituperetur, quum, quae optima sit procedendi methodus, ex ipsis modo experimentis sensim sensimque patuerit. In tractandis quoque principiis, quae ad mechanicam spectant, explicatio non tam perspicua est, ut melioris desiderium haud relinquat.

Nilominus Ordo libellum auctoris idoneum acuminis ac solertiae specimen existimavit, ideoque decrevit, praemio esse ornandum.

Schedulâ reclusâ legitur; Theodorus Leber, Carolirubanus.

Ordo Philosophorum duas posuerat quaestiones, alteram geologicam, alteram historicam. Priori quaestioni nemo respondit altera vero, ita proposita erat,

„Schilderung der politischen, ökonomischen und wissenschaftlichen Zustände, wie sie unmittelbar nach dem Schlusse des dreissigjährigen Krieges und in Folge desselben eingetreten waren.“

Una tantum commentatio tradita est, hisce verbis insignita:

„non pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis composuisse.“

De qua ita iudicavit ordo Philosophorum:

Der Verfasser hat die Arbeit in einem viel ausgedehnteren Sinne gefasst, als sie nach dem Wortlaut der Aufgabe verstanden war und als sie nach dem Zweck der akademischen Preisfragen verstanden werden kann. Er ging, wie er sagt, „gleich mit dem Vorsatz an die Arbeit, dieselbe druckgerecht zu machen, auch auf die Gefahr hin, den von der Fakultät gesetzten Ablieferungstermin vorüberstreichen zu lassen.“ Er hat sich daher nicht darauf beschränkt, die Zustände Deutschlands, wie sie nach dem dreissigjährigen Kriege waren, zu schildern, sondern er hat die gesammte europäische Geschichte und Politik in der Periode vor dem Kriege und während desselben in seine Darstellung hereingezogen. Von dem ganzen Umfang seiner Arbeit, die nahezu zwölfhundert Seiten füllt, sind etwa zwei Drittheile dieser Vorgeschichte und nur das letzte Drittheil der gestellten Aufgabe gewidmet. So gern nun die Fakultät den ungemeinen Fleiss, die ausgebreitete Belesenheit, die geschichtliche Kenntniss und die Begabung anerkennt, die der Verf. bewährt hat, so kann sie es doch nicht loben, dass er sich von dem scharf begrenzten Zweck der Aufgabe so weit entfernt hat, und vor Allem einem davon abliegenden Ziele — dem Plan, ein druckfertiges Buch zu liefern — nachgegangen ist. Die Anlage ist dadurch breit und ungleich, die eigene Forschung ziemlich knapp geworden; an fremdem und an unverarbeitetem Stoffe ist zu viel eingestreut, und die Aufgabe selbst zu einer Höhe gesteigert worden, die des Verfassers Kraft und Jahre überbietet.

Das zeigt, wie die Anlage, so die Ausarbeitung. Die Form ist weder einfach noch ungeziert, widerspricht mannigfach den sprachlichen Gesetzen, wie den Geboten eines würdigen historischen Styles. Das Urtheil über Ereignisse und geschichtliche Personen trägt an nicht wenigen Stellen ein Gepräge subjectiver Einseitigkeit, das man der unfertigen historischen Bildung des Verfassers leichter zu Gute halten könnte, wenn es sich nicht so absprechend und mit so viel Selbstüberhebung darböte.

Dass der Verf. der Lösung der gestellten Aufgabe gewachsen gewesen wäre, haben nach dem Ermessen der Fakultät einzelne Parthien des letzten Drittheils zur Genüge erwiesen; Fleiss, Kritik und Anordnung sind hier gleich lobenswerth und lassen es um so lebhafter bedauern, dass nicht in diesem Sinne die Aufgabe durchaus ergriffen und vollendet worden ist.

Indem demgemäss die Fakultät in der Arbeit eine preiswürdige Lösung der gestellten Frage nicht erblicken kann, so möchte sie doch gern dem grossen Fleiss, der ausgebreiteten Kenntniss und den Anlagen, wovon die Arbeit Zeugniss gibt, die verdiente Anerkennung zu Theil werden lassen. Diese Anerkennung öffentlich auszusprechen und den Verfasser zu vollkommeneren Leistungen zu ermuntern, hat die Fakultät beschlossen, ihm ein Accessit zu ertheilen.

Nova argumenta a singulis Ordinibus in annum proximum haec proposita sunt:

Ordo Theologorum postulat: „sententia, quae Zwinglio de peccato originali fuerit, diligentius exploretur, cum iis, quae a Luthero et Calvino de eadem re tractata sunt, comparetur, denique quo consilio Zwinglius in discussionem cum illorum placitis adductus sit, illustretur.

Ab Ordine Jurconsultorum in proximum annum haec quaestio proponitur:

„Darstellung des deutschen Pfandrechts zur Zeit der mittelalterlichen Quellen.“

Huic operi studium navaturis, nisi ipsis latinus sermo praeferendus videatur, venia vernaculi sermonis conceditur.

Quaestio ab Ordine Medicorum proposita haec est: „Instrumentum a cl. Marey in-

ventum et sphygmographi nomine nuncupatum, quae et in pulsu tentando et in morbis dijudicandis commoda adferre queat, experimentis eruatur.

Quaestiones ab Ordine Philosophorum propositae sunt:

1. ex mathesi:

„Ausdehnung der Sätze über Kegelschnitte, insbesondere derjenigen Sätze, welche sich auf die Brennpunkte und Asymptoten beziehen, auf sphärische Kegelschnitte, welche durch den Schnitt einer Kugel und eines Kegels zweiter Ordnung entstehen, dessen Spitze mit dem Mittelpunkt der Kugel zusammenfällt.“

2. ex philosophia:

„E fontibus demonstretur, quatenus fuerint philosophiae Epicuri elementa.“

Commilitones! jam apertus est campus. Nec desunt vobis vires, nec deerunt merita vobis proemia.

Quod reliquum est, grates persolvamus Deo Optimo Maximo, qui omnem, qua florent literae, pacem ac securitatem per hunc quoque annum nobis concessit.

Pia suscipiamus vota pro Friderico Principe nostro — pro universa Domo augusta Zaringo-Badensi: quam incolumem nobis in posterum praestet, faxit supremum numen.

Servet Deus Optimus Maximus Academiam nostram eamque in dies augeat. Dixi.

Appendix.*)

Incipit Inventarium librorum derelictorum universitati per dominum Colinum
quondam Cantorem sancti Pauli Wormaciensem
primo decretum sine glossa et incipit in prima parte agitur de justitia item com-
pendium decreti quod incipit humanum genus — item decretum cum
glossa et incipit sic — concordia canonum discordantium
item librum Decretalium cum glossa bernhardi
item Innocentius super decretales
item summa hostiensis copiosa super quinque libros decretalium
item lectura hostiensis super tertio quarto et quinto decretalium in pergamenio
item novellam super secundo libro in papiro
item novellam super tertio in papiro
item summa ganfredi in pergamenio
item casus Decretalium in pergamenio
item extravagantes Joannis XXII. in pergamenio cum aliis
item constitutiones Bonifacii, quae redactae sunt in sex in pergamenio
item una lectura in papiro quae incipit Gregorius
item unum collectum in papiro circa decretales

*) Vid supra pag. 8.

item una lectura quae incipit: canonum statuta in papiro
item diversa collecta in uno volumine in papiro et incipiunt de quo vult deo etc.
item unus liber in papiro, qui incipit Gregorius
item Mandagoti in pergamenno et papiro super electione [forsan Bernardi Pap.]
item decretales antiqui in pergamenno parvi valoris
item lectura super tertio decretalium in papiro
item tabula distinctionum magistri artium Henrici boyt in pergamenno
item additiones super decreto in pergamenno et incipit canonum statuta
item liber sextus cum glossa Joannis Andreae
item novella super sextum in papiro una cum regulis juris
item Archidiaconus super sextum in pergamenno
item textus sexti et pars glossae super sextum in eodem volumine in pergamenno.
item Archidiaconus super sextum in pergamenno.

item Speculum Wilhelmi Durandi in papiro
item Speculum juris in pergamenno et in bona forma
item Speculum juris in pergamenno et in minori forma
item libellus magistri artium Ganfredi commentum cum aliis
item summa aurea de arte advocandi item in pergamenno
item repertorium Wilhelmi Durandi in pergamenno
item repertorium ejusdem in minori forma
item summa magistri Rulandini in pergamenno et incipit instrumentum arrarum
item certe forme in pap. incipiunt in nomine Domini amen
item pars speculi in papiro
item pars speculi judicialis in papiro

item digestum novum in pergamenno et incipit hoc edicto
item codex in pergamenno
item instituta in pergamenno

item instituta in pergameno

item expositiones vocabulorum juris civilis

item libellus de moribus praelatorum

item ludus Senence [Senecae] de morte Claudii in pergameno

item liber antiquus in pergameno qui incipit: quod expedit cum sponsalibus

item vocabularium quod incipit difficiles studiorum in papiro in parva forma item

item summa pysani in pergameno, quam habuit dominus calinus a domino prae-
posito wormaciensi

est sciendum, quod magister Nicolaus publicus sacrae theologiae professor
egregius legavit universitati concordantias biblie minoris usum quarum . .
magister matthaeus de Cracovia quamdiu vivit habet, quo mortuo opus
redibit ad proprietatem universitatis.




www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn



www.libtool.com.cn